

2487

DE MORBIS EX SENIO

A V C T O R I T A T E
G R A T I O S I M E D I C O R V M O R D I N I S
P R A E S I D E

D. IOANNE CHRISTOPHORO
P O H L I O

P A T H O L O G I A E P R O F. P V B L. O R D. F A C V L T. M E D I C A E
E T C O L L. B. M. V I R G. S E N I O R E A C A D. D E C E M V I R O
C O L L E G. M A I. P R I N C I P V M C O L L E G A P H Y S I C O
P R O V I N C. E T A C A D. I M P E R I A L. N. C.
S O D A L I

P R O G R A D V D O C T O R I S
O B T I N E N D O

A D D I E M X I X. S E P T. A. R. S. M D C C L X X V I I
D I S P V T A B I T

C H R I S T I A N V S H E N R I C V S H A E N E L
D R E S D E N S I S
M E D I C I N A E B A C C A L A V R E V S

L I P S I A E
E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I I

'athol. spec.

77,54

Morbi' setatum
Partt vlog. 230.



DE MORBIS EX SENIO

§. I.

Prooemium.



Si hominem a primo partus momento vsque ad mortem comitamur et mutationes eius varias cogitando persequimur, omnia eius organa tam sapienter esse ordinata atque constructa inuenimus, vt certe statui eius, in diuersa aetate diuerso, plane accommodata deprehendamus, indeque colligere possimus, cur alia officia in statu foetus, alia in infantili, alia tantum in virili possint produci. Incrementum quidem omnes partes successu temporis capiunt, sat tamen

A 2

ce-

celere in foetu et puerō, cuius rei cauſſae in ipſa corporis ſtructura latent, vſque dum plane perfectae et ad praefan- da varia officia aptae redditae fuerint. In quo ſtatu per definitum tempus permanent, vt nullum ulterius incremen- tum obſeruetur: quamquam enim corporis partes quotidie nutriuntur deſtructaeque instaurantur, tamen nouae non formantur, nec iam praefentes longitudine et latitudine ex- tenduntur, vnde nouum eas vere incrementum capere, contendere non poſſimus. Omne hoc negotium ad nu- tritionem pertinet. Quem autem fugit, fluida corporis noſtri, per perspirationem externam et internam, per fau- ces, vrinam et ſic porro imminuta, quotidie instaurari per aſſumta alimenta ac potulenta? Nec minus notum ac vul- gare eſt, ſolda etiam mutari, quamquam ſunt, qui conden- dant, fluida tantum mutari, idque argumentis, non fatis fir- mis tamen, comprobatum ire ſtudeant. Si ergo ſolda aequi- librium cum fluidis feruant, ſi omnes actiones bene per- aguntur, hominem ſanum et perfectum dicimus, cui ſta- tui terminum inde ab anno eius vigefimo tertio aut quin- to vſque ad annum quadragefimum circiter ponimus, iam enim nec cреſcit nec decrеſcit, ſed ſemper, ſi vitia diaetae euitat, bene nutritur et quaſi ſimilis permanet. Tela cel- lulofa, quae adipem, ob nutritionem copiosam in infantili aetate collectam, feruabat et obesitatem efficiebat, in iuue- nili, vbi offa et vafa cum reliquis partibus in longitudinem extenduntur, neceſſario conſumitur, nec renascitur, niſi iu- venis plenarium attigerit incrementum. Hoc vero ita fieri, facile appetat atque ratio eius rei in promptu eſt. Quodſi enim corpus bene nutritur, materia alibilis ad re- ſtituenda deperdita ſufficit, incrementum iam perſiſtens nil ulterius poſcit, tela cellulofa non ſtricta, ſed laxa eſt,

inde

inde multum in eius interstitia deponi et obesitas sic generari potest. Sed decrescit iterum post aliquod tempus, quo homo vixit, id quod etiam secundum leges, a creatore stabilitas, sequi debet. Omnes actiones labefactantur, in vno tamen citius, quam in altero, quoad nempe vel bene nutritus fuerit, vel vitia diaetae euitauerit, vel morbis variis minus vel plus debilitatus fuerit, cuius rei causa in arctatione vasorum, rubrum sanguinem vehentium, vel eorum plenario collapsu quaerenda est. Fibra enim stricta fit, quoniam interstitia cellularia fibrae, in quibus certe magna vis toni, ut dicunt, i. e. flexibilitatis et resistentiae aequalis posita est, vt iure a recentioribus defenditur, non sufficiens nutrimentum accipiunt, et inde dissipato vndique fluido plana ac solida fiunt, partesque vicinas comprimunt. Minuitur porro exinde perspiratio interna, humor enim perspirabilis gelatinosus fit et vbiique in partibus interioribus haeret, ita vt fibrae cellulose ac musculosae collabantur et vere crassiores fiant, atque tumores varii generis, scirri aliaque procreentur. Vis nervorum imminuitur, sensus inde debiliores redduntur, humores porro vel stagnant, et ob partes solidas debilitas circumire non possunt, et ob crudas partes, quae iis immixtae manent, ob debilitatem solidorum acres fiunt et tandem corrumpuntur. Ex quibus omnibus patere arbitror, hoc aequilibrio solidorum et fluidorum sublato, non posse non varios morbos oriri, qui solum hunc statum hominis comitentur, ita vt semper vnaquaque aetas morbos sibi proprios et quasi peculiares habeat. Sunt vero hi morbi tam frequentes, in vno leuiores, in altero grauiores, vt pauci inueniantur hominum, qui etiam si optimo diaetae regimine vfi, nec morbis puerilis et iu-

A 3

ve-

venilis aetatis debilitati fuerint, non exemplo comprobant, senectutem ipsam, etsi tranquilla sit, morbum esse. Hos igitur morbos quantum praesentis libelli limites permittant, iam percurramus et secundum loca, quae occupant, itemque caussas, quae eos in senectute efficere soleant, breuiter examinemus, quo appareat, num in hoc solo stadio humanae vitae, nec in aliis, procreari possint.

§. II.

De siccitate senili.

Diximus iam, fibram rigidam fieri, vasā collabi, humorum progressum sic retardari, eos stagnare, corrumpi, atque exinde caussas generales morborum, senectuti propriorum, nasci. Nostrum quidem esse videri possit, modum, quo haec omnia fiant, ex physiologicis principiis deducere, sed cum partim haec iam a HALLERO *) aliisque copiose sint tractata, partim nos tantummodo indolem horum morborum, eorumque sedem indagandam nobis proposuerimus, haec nominare tantum sufficiat. Distinguamus vero morbos, quibus senes vexari solent, in morbos solidorum et fluidorum, et inueniemus utrumque varia ratione laedi. Senes siccitate laborare, quotidiane experientiae testimonio ita confirmatum est, ut nulla fere dubitatio locum habeat; oritur vero ista siccitas ex immunita humorum copia, quorum omnes, in primis vero sucus

*) In Element. physiolog. Tom. VIII. conf. item Disput. nostra de fibra senili, Lipsiae 1746 in 4to et CAR. GERNET dissertatio de siccitate senilis effectibus, 1753 in 4to.

cus lymphaticus et nutritius, parciores, spissiores adeoque minus apti ad nutritionem praestandam fiunt. Interstitia minima cellularia, quae fibram minimam aequa ac maximam intercedunt, non repleri in sene possunt; vnde flexibilitas iusta, elasticitas et exinde vigor neruorum in sene sensim paullatimque deficiant, necesse est. Initium ergo siccitatis senilis in minimis partibus quaerendum est, quippe quae a partibus simplicioribus ad partes compositas maiores propagatur. Fluidis inde dispersis in senibus necessario ossa rigida et fragilia fieri debent, quoniam terrearum particularum maior copia adducitur, et glutinosae medullares, quae lubricant, fere deficiunt; vnde ossa sicca redduntur et leuissima ex cauſa franguntur, vti obseruationes luculentissimae et certissimae chirurgos omni tempore docuerunt. Oritur exinde et coalitus ossium, quoniam liquor intermedius inter duo ossa, qui ad nutritionem epiophysium et lubricationem articulorum tam necessario requiritur, iam et parcius et spissius affluit, quapropter vertebrae, ad se accedentes proprius, cartilagines intermedias premunt, terunt et inter se coalescunt, quo facto tota tandem spina versus anteriora flectitur, ita vt ex hac cauſa senes gibbosus fieri soleant. Praeter hanc mutationem, quae in ossibus fit, etiam in osseam substantiam aliae partes mutantur, molliori in iunioribus structura praeditae, in quas superflua pars terrea tempore senii transfertur, ita vt vas, ligamenta, glandulas, cartilagines, viscera, vt cerebrum, renes aliaque plane ossea fieri videamus, quorum exempla innumera apud scriptores extant.

§. III.

§. III.

Actiones corporis omnes in senibus laeduntur.

Omnia officia, quae solida et fluida mutuo in corpore animali praestant, actionum nomine a veteribus insignita nouimus. Sunt vero hae actiones animales, vitales, naturales et sexus, in iuuenili aetate ac in virili valde viuiae, debilitatae in senibus. Masticatio ob defectum dentium non rite peragitur, oesophagus contractus et rigidus cibos permeare non sinit, nisi in minimas partes divisae sint; secretio liquoris saliuialis, gastrici, bilis, pancreatici labefactata est, inde digestio vel difficilis vel plane nulla existit, vnde chylus bonus non praeparari potest, nec ex eo bona lympha confici, quapropter nunc adeps in tela cellulari collectus, in minimis adeo resorbetur, vt fibrae rigidae fiant, vti supra diximus. Sensus externi hebetantur, ita vt plane nihil agant, vel maxime debiles deprehendantur, motus muscularis difficilis redditur, inde que totius corporis motus difficilis euadit. Respiratio et motus cordis debiliores fiunt, quam ob caussam circulatio et secretio impeditur, et humores acriores redditi a superflua copia salis in humoribus serosis contenti, sitim magnam producunt, nutritii bonae notae humores non separantur, atque adeo vera nutritio inde impeditur ac imminuitur. Excretiones omnis generis, sudor, vrina, minuantur et praeter naturalem indolem induere incipiunt. Animi affectus mutantur, sensus interni debiliores redduntur, id quod per externas actiones proditur, et senes ferre omnia ea, quae iuuenes quaerebant et optabant, nunc odio habent et fugiunt. Actiones denique sexus minus vegetae fiunt, et tandem ob elasticitatem imminutam, vi-

gorem

gorem neruorum amissum et secretionem lymphae semi-nalis impeditam plane tolluntur ac desinunt.

§. IV.

De morbis capitis senes prementibus.

Sed, his generaliter praemissis, progrediamur iam ad singulorum morborum descriptionem, et laesionem huius vel illius visceris in cavitatibus corporis paullo accuratius consideremus. Incipiamus itaque a morbis capitis. Oriuntur nempe saepissime dolores capitis in sene, quorum causa in magna copia sanguinis, versus caput impulsu, quaeritur, et venaesectione medicamentisque analepticis curari posse creditur. Quod si igitur in cauſas huius mali inquirimus, sane reperimus, sanguinem saepe non modo in vasis minimis capitis interioribus stagnare, sed etiam externe intet cerebrum ipsum et tunicas cerebri stagnare, quae turgentes a sanguine nimium extenduntur et dolores procreant, qui vel in uno tantum latere vel in utroque sentiuntur. Alia cauſa latet in primis viis, si nempe ob debilem digestionem acrimonia coaceruatur, quae neruos irritando ex ventriculo per consensum paris vagi et nervi intercostalis ad cerebrum usque propagatur et dolores gignit. Quamquam vero in priori casu saepe venaesectio non sine fructu et bono successu institui posse videtur, experientia tamen nos docuit, eam saepe cum aegroti damno administrari, quoniam ita debilitati senes comprehendimus, ut, vniuersis quibusdam sanguinis amissis, omnibus viribus destituti morirentur. Indicantur potius maiori cum fructu leniter roborantia, quae tonum ac elasticitatem

B

tem

tem iustum cordis restituunt, simulque contractionem eius et resistentiam minimorum vasorum versus cor augent. In altero casu, medicamentis acrimoniae contrariis inuolventibus praemissis, usurpanda sunt tonica stomachica, quae irritationem lenem producunt et spasticos capitis dolores leniunt. Haec omnia accurate a medico attendenda sunt, quoniam saepissime praesagia apoplexiae in sequentis esse solent. Sanguis, ex vasis stillans, saepe vel maiori vel minori cum vi per nares et os effunditur, id quod repletionem vasorum capitis primo intuitu indicare videatur, si a iunioribus concludimus. Sed experientia docuit, saepe nostram suspicionem hic falli posse. Haeret enim causa in abdominalibus vasibus et visceribus, praeципue hepate, systemate venae portae et liene, id quod ex sensu pressionis in illis locis, obstructione aluina aliisque symptomatibus colligitur, quapropter si balneis, vasorum nimiam strictroram relaxantibus, nec non lenioribus laxantibus et opiatibus tollere studemus, hunc speciosum impulsu sanguinis versus vasa capitis arcebimus, dum spasmum abdominalium vasorum cohibemus. In genere deriuatio acrum particularum a superioribus et inferioribus visceribus ad extremitates vel minus nobiles partes quam optime iuuat, producta per epispastica, per fonticulos et frictionem cum oleosis et pannis rigidis calidisque.

§. V.

De lipothymia et paralyse senum.

Accedunt porro lipothymiae, morbi a debilitate nervorum plurimum oriundi, et ut obseruauimus in fe-

sectionibus demortuorum senmu, a singulari extensione vasorum sanguiferorum in capite et inopia sanguinis ad caput fluentis. Quos quidem morbos quam saepissime apoplexia vel species eius variae sequuntur; paralysi enim senes leui ex caussa afficiuntur, vel vniuersali vel partiali. Quamquam vero non negamus, neruos semper affici, tamen primaria caussa apoplexiae vel paraplegiae vel hemiplegiae in resistentia vasorum versus cor, vel plenarie, vel ex parte sublata, posita nobis esse videtur et initium effectus huius caussae in cerebro et neruis inde exeuntibus quaerendum. Si enim in vasis minimis senum sanguis densus et crassus haeret, quoniam eorum vasa minima lateralia collapsa se et excretiones consuetas impediunt, respiratione ob difficilem transitum per pulmones difficulti reddita, nulla alia via patet, nisi versus caput, nam inferiora omnia repleta sunt. Abit inde, expandit nimium vasa cerebri, colligitur, ab inferioribus versus superiora pellitur, partes interiores cerebri premit, ex quibus nerui egrediuntur, extravasatur, neruorum tremores, sensus immisionem, et exinde motus defectum producit. Paralysi vel vniuersali vel partiali senes quam saepissime afficiuntur ac citius, quam iuuenes aut viri, quae cum symptomatibus, mox grauioribus, mox leuioribus, coniuncta est, caussasque habet propemodum innumeratas, plerunque tamen in indole corporis et structura eius interna mutata latentes, et a caussa externa occasionali excitari solitas, quae ab auctoribus omnis aeuī enumerantur et experientia confirmantur.

§. VI.

De apoplexia senes opprimente.

Nec raro antecedit in senibus paralyxin apoplexia, quae grauioribus symptomatibus stipata in iis, quam in iunioribus, etiam difficilius curari solet. Nam mirandum est, si nerois tensos, fibram rigidam, sanguinemque ad stagnationem ex his caussis pronum esse, cogitemus, levissimam caussam, extra corpus positam, refrigerium e. g. repletionem ventriculi, aliaque, posse tam subito hunc morbum producere. In hoc morbo ex vasis erumpit sanguis, vti notum est, vel serum ex omni massa humorum versus caput dirigitur, in caua cellularia egreditur, vasa vicina vel tunicas premit et sanguinis stagnationem producit, adeoque effectum hunc edit, quem notione apoplexiae insignimus. Non semper subito senex moritur, si apoplexia afficitur, etenim plus vice simplici in diuersis casibus obseruauimus, eos iterum adhibitis medicamentis sanitati restitutos, vel ex parte saltem curatos esse, morbum vero post aliquod tempus rediisse et aegrum vel sensu et motu orbatum, per tempus vixisse, vel statim morte oppressum fuisse. Quaeritur omnino, an plethora in seno locum habeat, an sanguis vere abundet, an ex hac causa apoplexia oriri possit; cum senes potius vacuitate vasorum plerumque laborare videantur. Valde dubium saltem est, sanguinis tantam copiam in iis colligi posse, vt vasorum diameter naturalis non sufficiat, quoniam pluri mi senes parum alimenti assumunt, ob debilitata organa digestionis paucum chylum praeparant, indeque exiguum sanguinis mensuram efficiunt. Itaque potius caussam rei in aequilibrio solidorum et fluidorum laeso positam esse
appa-

apparet. Solida eorum rigida ad stricturam magis disposita videntur, quam solida elastica iuniorum; plura vasa minora plane collapsa sunt, non transire permittunt sanguinem, nec secretiones consuetas fieri, inde sanguis oleofis particulis crassioribus stipatus, subtilioribus priuatus, in vasis haeret, eaque distendit, quae cum resistere sufficienter non possint, et ab inferioribus accidente sanguine valde distendantur, vulgo rumpantur necesse est: sanguis vero extravasatus cellulosam medullarem substantiam extendit, nervos premit et actionem eorum plane suppressit. Senum apoplexia inde longe antequam euenit, praesagiri potest, si eos accurate attendimus.

§. VII.

Eiusdem argumenti continuatio.

De variis enim illi incommodis conqueruntur, quae hebetudinem nervorum obstructionesque in vasibus minimis hinc factas indicant. Officium igitur medici requirit, vt, iterata venae sectione sanguine paucō emisso, obstructions hasce impedire ac tollere studeat. Nam etsi vires senis emissione sanguinis frangi videntur, certum tamen est atque euictum, hoc vere non fieri, imo lassitudinem, quae sanguinis stagnantis sequela est, tolli, simul ac vasa nimium distenta nunc liberiora reddantur, et ad naturale magis robur iterum accendant. Si deinde copiam sanguinis spectamus, quam emitimus, parua est, subito restituitur, neque adeo vires aegri multum debilitari possunt. Si obseruationes omnis aei medicorum

B 3

ex-

examinamus ac perpendimus, plures senes quam homines mediae aetatis curari inuenimus, et quidem multo lenioribus remediis, analepticis scilicet ac antispasmodicis, quam hos, quibus emetica, purgantia eaque repetita magna in dosi propinare cogimur. Immo senes haemorrhagia spontanea sanatos fuisse, experientia saepe confirmavit; ex quibus omnibus videmus, plethoram a strictura vasorum ortam, plerumque caussam apoplexiae senum esse proximam, indeque indicationem medici eo dirigendam, ut venaesectione hanc caussam statim remoueat, ac reliquis remediis, quae saepe frustra adhibentur, eam solam anteponat. Aegroto sic sanitati restituto, quam saepissime obseruauimus, quaedam relinquunt, quae attentionem medici singularem poscunt. Etenim inter alia memoriae vis saepissime ita in iis debilitatur, ut et recentissime acta obliuiscantur; vel proclivitas in somnum remanet, qui senes magis debilitat, quam reficit. Vtrumque neruos laesos ac debiles redditos esse declarat, indeque id videntur est, ut hi, quantum fieri possit, robur suum recuperent. Medicamenta neruina sic dicta, quae plurimum in apoplectis adhibentur, quo calor internus augeatur, ut castoreum, asa foetida, acida mineralia, saepe quidem symptomata, nonnquam tamen vel saltem rarissime caussam proximam tollere videntur. Evidem omnino arbitror, non satis accurate interdum attendi in apoplexia senum, quomodo neruorum laesio comparata sit. Obseruauimus enim saepius in aliis sensum omnem suppressum motu remanente, in aliis sensum ac motum simul laesos esse, ita, ut non una eademque medicamenta bonum usum atque effectum praestare possint, hacque experientia nixus non plane a sententia eorum abhorreo,
qui

qui alios nervos sensui, alios motui dicatos esse contendunt. Inueni in sene apoplectico, vbi sensus ab initio morbi vsque ad finem ita vt post instauratam sanitatem remanebat, plus vna vice vesicatoria e. g. mox post quam applicata erant, copiam humorum acriam quidem adduxisse et sensum ita auxisse, vt aeger de summis doloribus conquereretur, nec tamen leuissimum motum, cum et ulcera iterum sicca essent, efficere posset. Exinde puto, irritantia, vbi sensus superfuerit, plus nocere, quam iuuare, eaque, quae tonum fibrarum muscularium restituant, praefferenda esse, quo pertinent oleosa, aromatica, cum salinis corporibus coniuncta, quibus balnea roborantia martialia iungi debeant. Vesicantia vero et alia nervina irritantia, externe applicata, in aliis, in quibus sensus magis deficit, quam motus, praefferenda sunt roborantibus, quae in hoc statu, fibram musculariem siccando, motum difficiliorem reddunt, elasticitatemque minuunt. Quae si bene ideo administrantur, sequelae apoplexiae, de quibus supra dixi, saepissime vel prorsus euitari poterunt, vel leuiori in gradu apparebunt et faciliorem adeo sanationem praebebunt.

§. VIII.

De nimiis senum vigiliis, nimio eorum somno et morbis faucium.

Ad morbos senibus proprios, quorumque caussae etiam in cerebro neruisque saepe quaerendae sunt, vigiliae nimiae vel somnus nimius iure referri debent. Saepe nimirum fit, vt secretiones consuetae impeditae, vel laxi-

laxitas vniuersalis, vel nimio impetu accedens ad cerebrum sanguis, qui motum humorum internorum auget, caussae vigiliarum existant, quae apto ordine diaetae totiusque regiminis sensim sensimque remoueri debent, cum subito hoc fieri vix possit, praesertim si simul animi affectibus nimis incitati sint. Non raro vigiliarum caussae latent in infimo ventre, cum multi senes difficulter digerendos cibos pro coena adhibeant, qui flatus generant et, ob consensum neruorum ventriculi cum cerebro, irregularem motum humorum ibi producunt; quae caussae euacuantibus aptis, antispasmodicis et ipsa sanguinis missione, qua tamen rarissime, in spasmus nempe a sanguine orto, opus est, tolluntur. Alter morbus huic oppositus, somnus scilicet nimius non minorem meretur attentionem; cum torporem neruorum insignem ac debilitatem indicet, et maximo utique cum periculo semper coniunctus sit. Signum et nuncius plerumque apoplexiae, vel grauioris laesionis cerebri, inflammatis latentis, abscessus, vel extravasatae lymphae est; qua propter indicatio ad haec omnia dirigenda et vera caufsa omni studio detegenda est. Praestant inde medicamenta, quae humores tenaces resoluunt et ad excretionem disponunt, vel a capite versus inferiora deriuant, quo etiam vesicantia et emissio sanguinis per varia media pertinent. Haec de capitis proprie sic dictis morbis sufficient. Non raro porro videmus senes de posteriori parte faucium cum capite arcte coniuncta male affecta conqueri, ac de difficultate deglutiendi, cuius rei caussae plures inueniantur. Osse, quae partem oris interioris constituunt, sicca reddita et intersticiis cartilagineis priuata, claudunt iam quodammodo orificium, vel angustius faltem reddunt, ac musculo-
rum

rum deglutitioni dicatorum fibrae constrictae ob elasticitatem imminutam, nec possunt illud dilatare, nec iterum satis constringere, quapropter deglutitio difficilis reddatur necesse est. Deficit copia sufficiens succorum in ore affluentium, quoniam omnes secretiones multo parciores fiunt, vnde neque lubricatur sufficienter os, oesophagusque. Constringitur et oesophagus ipse a spasmis, senili aetati valde communibus, adeo, ut cauum eius quam paruum cibos non possit transmittere, cum simul nerui afficiantur et nimis facile irritentur. Alia caussa posita est saepe in relaxatione fibrarum muscularium oesophagi et debilitate neruorum singulari, vnde et senes saepius, quam iuuenes ad anginam disponuntur, quae descensum ciborum quam creberrime impedit, quoniam humores ibi facillime stagnant et inflammationem generant.

§. IX.

De morbis thoracis.

Thoracis viscera, valde subtili structura nimirum praedita, omni tempore quidem facillime laeduntur, in primis tamen in statu senii ubi organa haec, sanguine et aëre semper affluente irritata, tandem tonum suum et vires amittunt, quibus ex caussis deinde variis morbis occasio paratur. Inter omnes vero morbos phthisis senes quam maxime corripere putatur, quoniam causae huius morbi in ipso corpore senili latere videntur, sed haec vulgaris opinio quandam restrictionem, ut quidem existimo, debet accipere. Etenim etsi negandum non est, interdum phthisin senes inuadere, saepissime tamen ex-

C per-

pertus sum, illum morbum, quem pro phthisi habeant, alio in loco sedem suam, quam in pulmone, saltim ab initio habere, atque ab aliis caussis produci, indeque bene distingui a phthisi pulmonali debere. Colligitur nempe ob pulmonis debilitatem ac laxitatem pituitae magna copia, quae, in sanguinem transiens, obstrunctiones gignit et secretiones humorum lymphaticorum, saliuallium, aliorumque impedit. Appetitus ex his caussis imminuitur, febris ac tussis cum eiectione pituitae accedit, emaciatur corpus adeoque senex ex defectu nutritionis moritur, pulmone quidem sicco ac debilitato, nullis vero ulceribus obfesso. Est aliis adhuc morbus, vbi magna copia pituitae ad pulmones dirigitur, in partibus inferioribus saepe sedem habens et profundioribus, et per os tam large eiicitur, vt omnes putent, vomicas in pulmone sedem habentes, eam effundere, cum post mortem instituta dissecatio saepe doceat, totum viscus ab omni labe liberum esse. Exposuit hac de re nuper clare ac perspicue Excellent. MVRAY, Professor Goettingensis celebr. in programmata *de phthisi pituitosa*, vbi caussas, signa diagnostica et prognostica morbi exemplis auctorum et aegrorum ac sui ipsius fratribus confirmavit. Tussis conuulsiva sicca, vel humida non minus vexat senes, quam phthisis antea descripta, cuius caussae etiam saepius occurunt et magis in iis, quam in iunioribus latent. Affluxus acrum humorum in ventriculo vel pulmone vel aspera arteria irritat neruos et fibram spastice constringit, qui, nisi aptis laxantibus, ipsisque emeticis impeditur, periculum affert senibus et debilitatem summam, atrophiam, ipsamque apoplexiā interdum creat. Observatur in hac tussi angustia praecordiorum difficilisque
re-

respiratio, quae a diaphragmate, versus pectoris cavitatem a spasmodicis motibus intestinalium pulso, oritur, unde asthma non incongrue in conuulsuum et flatulentum distinguitur; ac saepe pro morbo ipso, cuius tamen symptoma tantum est, habetur. Oritur ex his diuersis morbis, quos iam enarrauimus, vel ex uno alteroue eorum aliis, valde communis, catarrhus scilicet suffocatus, cuius cauissae semper in laxitate, vti et in copia nimia seri versus pectoris viscera directa ponendae sunt, indeque etiam tantum resoluentibus ac euacuantibus curari vel saltem leuari debent. Lympha in vasis coacerata, atque coagulata obstructionem vasorum efficit, quae, cum secundum ramos venarum sese formet, iam inde ab antiquissimis temporibus sub polypi nomine plerumque describitur; ex qua cauissa saepius asthma vel difficultis respiratio etiam oritur; vel aqua colligitur, perspiratione interna in pericardio aucta, et hydrops pectoris generatur; qui morbi omnes plerumque remedia respuunt, et inter ratiora ac rarissima exempla referri debent, si sanantur. Restant quaedam affectiones, quae tamen rarius occurrunt, vt electio sanguinis per os et id genus alia.

§. X.

Morbi abdominis viscerum.

Plane aliam structuram cum viscera abdominis habeant, etiam aliis morbis obnoxia sint necesse est, quorum nunc quaedam exempla enarrabimus. Ostendimus iam sub initium huius libelli, vires digestionis quam maxime in senibus

C 2

de-

debilitas esse, qua ex caufsa et ventriculus atque intestina partim varia alimentorum genera non ferre possunt, partim non bonum exinde praeparare chylum, quoniam fibra muscularis debilitata motum peristalticum perficere nequit. Orientur hinc varia incommoda necesse est, quae tamen omnino, si defectum appetitus, nauseam ac vomitum exceperis, inter leuiora numerantur et remedii lenioribus saepissime mitigari, quin adeo tolli possunt. Inter grauiora mala iure refertur colica, scilicet spastica constriictio intestinorum, quae quamquam a variis cauissis v. c. ab alimentis, quae multum aëris continent, item a debilitate intestinorum, vel neruorum oriri potest, tamen tunc demum maximo cum periculo videtur coniuncta, si ab haemorrhoidibus vel suppressis vel nimiis originem suam traxit. Attendum tunc in primis a medico pratico est systema venae portarum, quod facile obstrui et ad eiusmodi morbos senem disponere potest. Quamdiu haec sanguinis excretio per vasa haemorrhoidalia durat et ordinem seruat, corpus a variis iisque grauissimis morbis liberatur. Quando vero ista ob structuram solidorum in sene mutatam, aliamque indolem fluidorum ac in iunioribus interrupitur, congestiones sanguinis ad inferiores partes minus consuetas fiunt, sanguis in vasis intestinorum haeret, et ibi ob copiam neruorum eorumque pressionem plerumque spasmos, inflammations multaque incommoda alia valetudini funesta procreat. Ad nimium fluxum, qui vires senis debilitat et laxitatis intestinorum insignis indicium est, senes disponuntur, si regimen calidum in genere, praesertim potum calidorem nimis amant, de quo iam omnes conqueruntur

et

et quo efficitur, vt haemorrhoides non pro signo vi-
rium vitae et leuamine naturae, vti STAHLIVS voluit, sed
pro vero morbo habendae sint. Quod si hic fluxus
impeditur, cuius caussae variae esse et in rigiditate, vel
collapsu vasorum vtplurimum quaeri possunt, non ra-
ro fit, vt sanguis, in mesenterio stagnans, glandulas ob-
struat mesenterii, hepar ipsum laedat, vel vlcera hinc in-
de in mesenterio gignat, quae humorem ichorosum,
saepissime ibi haerentem et gangraenam ac sphacelum
producentem, fundunt, quae omnia cum summis dolori-
bus spasticis ob neruos inde laesos et obstructione alui
pertinaci coniuncta sunt, plurima medicamina respuunt,
nec nisi viam egrediendi sibi parent, morte plerumque
finiuntur. In colica hac, a solo stagnante sanguine in
vasis infimi ventris orta, accidit et interdum, vt inflam-
matio ibi et in vesica vrinaria oriatur, cuius vaſa hypoga-
strica cum illis arête coniuncta sanguinem per vrethram
fundunt, quem morbum vulgo miſtum cruentum di-
cunt, qui, nisi longe durat, non magnam molestiam
creat, atque ab hinc inde stagnante sanguine, in vesicam de-
mum effuso, plerumque oritur, et his obstructionibus
sublatis, iterum tollitur. Si vero iste morbus cum stran-
guria graui vel ifchuria coniunctus est, communiter ab
haemorrhoidibus suppressis producitur. Tristis est con-
ditio illorum hominum, quoniam, si sanguis haemorrhoi-
dal is in vasis vesicae stagnat, spasmodum vesicae summum
gignit, qui egressum vrinæ saepe per plures dies impe-
dit, vsque dum obstructio in inflammationem abit,
quae vasa destruit, quo facto sanguis et vrina summis
cum doloribus effluunt. Nihil tunc auxilii afferunt me-
dicamenta antispasmodica vel vrinam pellentia, sed sola

C 3

eu-

euacuatio artificialis vrinae per catheteres, medicamenta antiphlogistica, venaefectio, applicatio hirudinum, quo inflammatio non in gangraenam abeat, sed abscessibus finiatur, vbi plus vice simplici vidi, postquam per quosdam dies effluxisset sanguis, tandem cum vrina humorem purulentum, imo verum pus exiisse, idque per septimanas plures durasse, donec vlcera pura reddita et coagulatio vasorum iterum facta esset. Vasa in vesicae internis parietibus tubercula faciunt, vt ad orificium ani, quae si cathetere disquiruntur, vt caussa mechanica, quae egressum vrinae impedit, consideranda, aptis remedii tollenda, adeoque haemorrhoides, si fieri possit, in rectam viam dirigendae sunt. Inde id omnino in hoc morbo spectandum mihi videtur, vt ne inflammatio, quae ex omnibus signis patet, in gangraenam abeat, id quod in senibus valde debilibus vel sua sponte fit, vel punctione perinaei, quae vt plurimum commendatur, facillime efficitur. Colici do-lores, qui tunc oriuntur, summi sunt, nec facile cum ullis aliis comparandi, ita vt fere nunquam medicamentis cedant, nisi huic indicationi apta adhibeantur et causa efficiens perfecte cognita et remota fuerit.

§. XI.

Continuatio eiusdem argumenti.

Ex obstructo hepate et glandulis meseraicis induratis non raro porro hydrops, icterus, atrophia et cachexia oriuntur, in quibus omnibus methodus curandi plane alia multoque lenior, quam in iunioribus usurpari debet, si quam spem concipere velimus, quamquam non negandum est,

est, ex plurimis horum aegrorum paucos tantum sanari et prope nullos perfectae sanitati restitui. Quod denique ad morbos renum et vesicae vrinariae attinet, experientia nos docet, senes in primis calculi in renibus formationi obnoxios esse, quoniam magna copia muci, ibi collecti, ob debilitatem organi occasionem ei praebet, quae febrem, dolorem summum in hac regione, conatum vomendi et levem inflammationem, quae tamen ab inflammatione intestinorum aut visceris vicini per signa pathognomonica bene distingueda est, plerumque comites habere solet. Quod vesicam vrinariam spectat, ex musculosis firmis fibris constructam, ea vel laxitate vel stricture in senibus laborat, et inde duplicitis generis vitia, quae hac divisione generali nuntiuntur, in iis oriuntur. Laborant enim incontinentia vrinaria vel diabete, ubi lympha, quae ad usum corporis impendi deberet, cum vrina effluit, cuius morbi sedes mihi tamen potius in debilitate organorum digestionis et secretio-
nis, glandularum mesaraicarum, nec non renum posita esse videtur, quia magna copia boni humoris lymphatici in vesicam confluit, et sic copiam vriniae excernendae necessario augere debet, quamquam communiter ad morbos vesicae refertur. Ex altera causa, stricture scilicet nimia existit hoc, ut vel vrina cum dolore, id quod stranguriae nomine insinuerunt, vel sine dolore, pauca tamen quantitate effluat, quod dysuriae appellatione expresserunt, vel plenaria obstructio eius obseruetur, quam affectionem ischuri-
am vocant, quae omnia, cum molestiam summam seni contrahant, a medico accurate disquirienda sunt iisque methodus medendi iusta adhibenda est.

§. XII.

§. XII.

Epilogus.

Nonnulli quidem morbi adhuc supersunt, qui in externis et internis senilis corporis partibus sedem figunt, ut inflammationes leuiores, morbi systematis lymphatici, ex quo genere sunt rheumatismus, arthritis, podagra, scorbutus, scabies et vlcera malae indolis, quae fortasse ad translationem pertinere videantur, sed silentio eos praeterimus, quoniam alii eorum iuuenibus aequa ac senibus proprii sunt; nec in structura aut humorum indole pro aetate diversa, sed in erroribus diaetae, vitae genere, antea in iuventute usurpato, quaerendi, et ut symptomata praecedentium malorum considerandi sunt; alii vero ex iis, quae ante proposuimus, facilime deriuari possunt, cum in mutatione solidorum et fluidorum crassorum, quae in sene fieri solet, causa mutationis subtiliorum fluidorum, ut lymphae, fundamento quam maxime firmo innitatur. Quapropter causae morborum illorum specialium ibi quaerendae sunt, prout id attenta obseruatio medicum, experientia edocet. Evidem porro scio, me in hac dissertatione morbos tantum nominasse, pauca de occasionali ac proxima causa itemque de symptomatibus dixisse, ac ferre nihil de curatione in iis adhibenda proposuisse, sed statim ab initio consilium cepi, morborum stragem tantum hic colligendi, breuiter tractandi, nec nisi maxime necessaria addendi, ne limites libelli academici excederem, utque occasionem nanciserer, viamque mihi munirem, ea in alio libello, si opportunitas scribendi oblata fuerit, ulterius persequendi et obseruationibus practicis illustrandi.
